



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. An, & quâ ratione per consuetudinem induci possit, ut quis simul plura beneficia obtineat, & retineat in eadem vel diversis Ecclesiis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

& tribui deberent. Et hinc putant aliqui, non tantum per nullam consuetudinem induci posse, sed nec per dispensationem Pontificis fieri posse, nisi iusta & rationabilis causa ad dispensandum adsit, ut unieidemque, qui sustentationem sufficientem (pro qualitate personæ, & circumstantiis plures attendendo) ex uno beneficio habet, alterum etiam concedi possit, cum consuetudo talis sit contra jus naturale, & dispensatio talis, dissipatio potius dicenda sit, quam dispensatio, ut ait S. Bernardus.

Quintò denique inferitur ex his, plura beneficia licetè aliquem obtinere & retinere posse, si ratione residentie necessitatis non sunt incompatibilia, nec sunt uniformia sub eodem texto, nec animum eorum ad congruam, & competentem sustentationem Clerici sufficiat, cum enim ex uno horum trium Capitum beneficia incompatibilia reddantur, ut ex dictis patet, consequenter, si nullum horum Capitum interveniat, compatibilia etiam plura beneficia erunt. Et hinc fit, quòd in nostris partibus, ubi residentia continua per annum, aut personalis, non requiritur, duobus & pluribus etiam Canonicatibus frui quis possit in diversis Ecclesiis, si omnibus satisfacere possit.

## §. II.

An, & quâ ratione per consuetudinem induci possit, ut quis simul plura beneficia obtineat, & retineat in eadem vel diversis Ecclesiis?

Nullâ consuetudine, etiam immemoriali, introduci potest, ut præbendatus Canonicus simul duas dignitates, vel Personatus, vel duo officia, vel duos

simplices Canonicatus, aut unam Dignitatem, & officium simul, in eadem Ecclesia obtineat, absque dispensatione Pontificis c. 1. De consuet. in 6. non tantum, quia ex radice ambitionis consuetudo hæc procederet, prout jam dictum, & ad imminutionem cultus Divini, sed quia corruptela potius juxta Glossam in c. Literas. De concess. præbend. censenda est; (potest tamen consuetudine introduci, ut in eadem Ecclesia unus idemque Canonicatus præbendatum obtineat, & simul Dignitatem, vel Personatum, vel officium, &c. prout ex sit. c. 1. De consuet. in 6. colligunt Auctores, & constat ex c. Eam te 7. de rescript.) neque valet consuetudo ut simul quis obtineat plura curata, in diversis etiam Ecclesiis, beneficia, nisi per consuetudinem saltem immemoriam, aut privilegium Pontificis, nulla esset in una earum Ecclesiarum personalis residentie obligatio, sed per Vicarium perpetuum, illi deserviri posset; neque enim in hoc casu ex incompatibili residentie obligatione, si per Vicarium possit sufficienter Ecclesie illi provideri, contra consuetudinem talem probati posset aliquid.

## §. III.

An, si is, qui jam obtinet beneficium residentiam postulans, electus fuerit à Canonicis, vel aliis Clericis ad aliud beneficium, quod similiter residentiam requirit, posset utrumque simul retinere;

Respondetur negativè, ut constat ex c. Cum non ignores 15. h. e. & ex allatis jam rationibus, ita ut, si illi, qui ad aliam Ecclesiam elegerant talem,